



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitvlvm VI. Debitores.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

homines defendere velit. Veruntamen si inter Papam & Christianum Principem bellum oriatur circa temporalia, non tenetur Episcopus adiuuare Papam, cum non sit vassallus eius, nec ipsi in ordine ad iura eius temporalia, sed in ordine ad Papatum, seu Papalem jurisdictionem ac potestatem iuramentum ediderit.

3<sup>o</sup> Not. III. Si Episcopus à Metropolitano ad Synodum Provinciale vel à Papa ad generale Concilium vocetur, comparere ipsemet debet, nisi impedimento necessario detentus sit, uti etiam habetur in *c. Si Episcopus 13. dist. 18. ubi glos. verb. Præceptione*, moner, sufficere vnam citationem, ut Episcopus tanquam inobediens puniatur, licet in judicialibus trina requiratur. Sicut notat hic Ioan. Andr. qui addit, tamen si Episcopus omnes Episcopos videat ire ad Synodum provinciale, non tenetur ipse venire, nisi vocatus. Porro si Episcopus impeditus sit accedere personaliter, Legatum eo destinare debet. *c. Episcopus 29. dist. 18.*

4<sup>o</sup> Not. IV. Episcopi singulis annis per se vel per Nuntium ad limina Apostolorum venire debent, nisi ea obligatio ipsis à sede Apostolica remittatur, sed paulò aliter habetur in *c. Iuxta. 4. dist. 93.* ubi distinguitur inter Episcopos propinquos, quòd venire debeant (per se vel per alium, ait Glossa ibidem; sed malim ego dicere sensum esse, ut per se veniant, nisi impediti sint) & inter remotos videlicet qui ultra Italiam sunt, vel saltem duorum dierum itinere distant, ut ij satisfaciant, si per scriptum quot annis Romanam missum de statu Ecclesiæ suæ doceant.

## CAPITVLVM V.

## Nullus.

## PARAPHRASIS.

Episcopus à Clericis suis nisi administratiorem aliquam habeant, iuramentum fidelitatis & obedientiæ exigere non debet. De reliquo hoc Cap. non summat.

Not. vnicum. Simples Clerici ac Sacerdotes Episcopo suo obedientiam &

fidelitatem jurare non coguntur. Excipe casum, si de inobedientia aut rebellione suspecti sunt, uti docui in *c. 3. de Maioritate.*

## CAPITVLVM VI.

## Debitores.

## PARAPHRASIS.

Debitor Creditori promittens vsuras, non tenetur eas solvere, nisi jurarit se soluturum, tunc ex reverentia Divini Numinis adeoque Religionis tantum virtute obligatur ad soluendum; solutas tamen vsuras Creditor restituere debet, & ad id, si opus sit, per Ecclesiasticam censuram compellendus est.

## SUMMARIVM.

1. Harum solutio turpitudinem tantum habet ex parte Creditoris recipientis, qui eas restituere tenetur.

Not. vn. Soluere vsuras promissas non est peccatum, nam alioquin iuramentum solvendi iuramentum non obligaret, cum nemo obligari possit ad peccandum; quare promissio & solutio vsurarum turpitudinem tantum habet ex parte creditoris recipientis, qui cum titulum seu jus recipiendi nullum habeat, acceptæ vsuræ dominium non comparat, & ideo ex iustitia restituere debet. Sicuti docet *S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 3.*

Obijcit *Gloss. verb. Cogendi &c.* Debitor qui vsuras soluit, potest illas repetere, tanquam indebitè solutas, uti docent *DD. in c. Ad nostram. 2. hoc tit.* Ergo non tenetur solvere promissas. quid enim opus est solvere, si postea restituere debeat? & confert huc *Regula 198. ff. Cui damus actionem*, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit.

Resp. rectè ostendi quod debitor vsuras juratas ex lege iustitiæ solvere non teneatur, obligaretur tamen ratione iuramenti ex Religionis virtute, cum autem iuramentum hoc strictam interpretationem mereatur ideo obligat ad soluendum, non item ad solutas non repetendum, nisi & hoc ipsum in iuramento expressum sit, ut infra dicitur.

CAP.